



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. De Fausto Regiensi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

za; illi impulsu gratiæ ad salutem trahuntur, isti voluntariè & sponte currunt; & nunc his, quæ illis Scripturarum testimonia applicent, quæ vel libertatem hominis asserunt, & vel Dei gratiam commendant. Deinde eò usque Pelagianus est, ut non sola bonarum voluntatum initia, sed etiam admirabilem Zachari, Censurionis, & Lactonius fidem, simul cum perfectissima patientia Job, naturæ virtutibus attribuat: Sed neque in hac neque in illa opinione diu persistit, ut colligi potest tum ex ipso Cassiano, tum ex Divo Prospero, & Hilario, qui vacillasse Massilienses, & subinde mutasse suas opiniones, testantur; quod nihil occurreret ubi mens vaga & egans conquiesceret. Unde Prosper libro contra Collatorem capite quarto suam ei exprobat inconstantiam, & dicit eum, definitionis suæ oblitum, eò à sententia defecisse. Quis igitur Cassiani defensionem suscipiat, quis ejus doctrinam approbet, quis fidei Catholicæ consonam asserat; Ne mo, opinor, nisi Pelagiano habitu infectus sit, & Gennadium imitetur, dicentem libro de viris illustribus: *Legi librum Prosperei personam Cassiani, sub perditâ Collatoris: quæ Ecclesiæ Dei salutaria probat, ille infamar vociva.*

Malè ergo Henricus Cuius annot. ad cap. 12. de instit. nonnulli ubi Cassianus ait, *nostrum esse bonæ voluntatis occasionem Deo præbere, ut sua munera largiatur*, excusat eum, quasi loquatur de hominibus jam fidelibus, qui fide & auxilio gratiæ adjuvati, Deo exhibent occasionem ulteriorum donorum. Nam contrarium patet ex contextu capitis secundi & sequentium.

Non valet etiam quoddam Author annot. ad cap. 8. Collationis 13. ait, nempe in eo quod capite hæreticam doctrinam contineri; at eam à Cassiano non doceri, sed solum ex Chæremone Abbate referri. Non valet, inquam, nam repugnat D. Prosper contra Collatorem cap. 2. ubi ait: *Cassianum induisse quemdam sacerdotis ordinis abbatem, de gratia Dei & libero arbitrio dissentientem, cuius se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam.*

Item non rectè Petrus Ciaconius annos. ad eandem Collationem 13. Cassianum ab errore purgat, dicendo eum non loqui de dispositione proxima ad gratiam, sed tantum de remota, dum docet hominem ex virtutibus naturæ posse se disponere ad gratiam. Nam præterquam quod erroneum & Semipelagianum est, liberi arbitrii virtutibus tribuere dispositionem remotam ad gratiam, ex contextu Cassiani liquet, eum sibi arbitrii virtutibus adscribere proximam ad gratiam dispositionem.

Advertendum tamen est, quod licet Cassianus in materia de gratia & libero arbitrio erraverit, non fuit tamen hæreticus: quia doctrina Semipelagianorum nondum erat ab Ecclesiâ damnata, ut in fine libri contra Collatorem monet D. Prosper. De quo videri possunt Baronius ad annum 430. num. 27. & Ado Viennensis in Chronico anno 425.

§. III.

De Faustio Regiensi.

45 Faustus ex Abbate Monasterii Lirinensis Regii, quæ Galliæ urbs est, Episcopus factus, floruit ad annum 480. medio tempore inter Prosperi & Fulgentium, ille Pelagium damnare,

A ejusque errores refellere videri volens, revera Pelagio favisse, & Catholicam Augustini de gratia & prædestinatione sententiam refutasse compertus est. Scriptis enim omnium Semipelagianorum astutissimus duos libros de gratia & libero arbitrio, qui licet è ipse spectare videantur, ut simul cum gratia humanum laborem ad operantiam salutem desiderari ostendatur, hoc ipsum tamen ita demonstrat, ut efficacia gratiæ, & prædestinatio gratuita, omnino evitentur, hæresisque Pelagiana, detractâ larvâ, prodeat in medium.

B Eius astutias sustulit in Africa sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, septem libris, de quibus Isidorus libro de viris illustribus capite decimo quarto ait: *Legimus de gratia Dei & libero arbitrio Fulgentii libros septem, Faustio Galliæ Regiensi urbis Episcopo, Pelagianæ pravitate consentienti, respondens, binitur ejus profundam destruisse calliditatem.*

Contra eundem Faustum disertissime scripsit Avitus Viennensis Episcopus, cujus meminit ejusdem Ecclesiæ Episcopus Ado, in Chronico, anno Domini quadringentesimo nonagesimo secundo, cum de Faustio agit, his verbis: *Faustus ex Abbate Lirinensis Monasterii, apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur; unde qui ejus sensus in hac parte catholicos prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quam ceteri Catholici in Ecclesiâ Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste ita liberum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus, & salus, non à Christo sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem, similiter & Ioannes vir & auditus, Antiochenus Presbyter.*

Similiter etiam Petrus Diaconus libro de incarnatione & gratia, qui extat inter opera Fulgentii capite ultimo, anathematizat libros Faustii Galliæ Episcopi, quia humano labori subiungit gratiæ adiutorium. Præ aliis verò Joannes Maxentius Scythiæ monachus, qui vixit ad annum 520. tempore sancti Hormisdæ Papæ, & cujus opera extant tomo quarto Bibliothecæ Patrum, Faustii libros de gratia solvit, in responsione ad Epistolam dicti Hormisdæ ad Possessorem Africanum Episcopum: De quo Baronius anno 520. numero 22. Unde prudens & notari digna est hujus piissimi & doctissimi Cardinalis ad notitiam, tomo sexto anno Domini 490. ubi sic ait: *Cum igitur Faustii sententia ubique ab Ecclesiâ Catholica fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à sancti Augustini sententia de prædestinatione recedunt, cum alioqui arma non desint, quibus hæretici prostigantur.*

§. IV.

De Gennadio.

Gennadius Massiliensis Presbyter, qui vixit tempore Gelasii Papæ ad annum 490. Semipelagianis adhæsit, & de ipsorum secta fuisse creditur: siquidem libro de viris illustribus Cassianum & Faustum laudat, eorumque de gratia sententiam, Prosperi doctrinam anteponit, Rufinum Aquileiensem Presbyterum, Pelagii Præcursores, ac Pelagianæ hæresis Architectum (quo